



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Capvt II. Specimina thesaurorum sapientiæ & scientiæ Dei in Christi intellectu, ad liquidiozem perfectionum christi intellectualium hastenùs expositarum introspectionem expensa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)

mines animalibus comparentur. Forsitan enim tale quid intelligens & Propheta, dicit se factum esse quasi iumentum; Non simpliciter iumentum, sed ut iumentum apud Deum, vel apud Christum eius; secundum quod ait; *Et iumentum factus sum apud te*. Nam quantum ad Deum, iumenta sumus, non solum nos, sed etiam multo nobis prudentiores. Sic autem quantum etiam ad Pastorem Christum, eius onus sumus; quoniam tanta distantia est inter eum & nos; quanta inter hominem, & quaecunque iumentum. Hoc quam apposite sit dictum, collata infirmitas nostra cum summa Christi sapientia quam hoc caput perspicue exhibuit, deprehenditur nullo negotio. Alios fructus ad dam agens de Christo Magistro.

Ille tamen hoc loco tacendus non videtur quem Matthæus Radeus l. 3. de vita Petri Canisij cap. 1. optimè ex magni illius viri sensu notavit; Nimirum cum tanta esset intellectus Christi perfectio, tante sapientia in Deo homine ubertas, iam ab infantia, & ex ipso materno utero; tamen ut innocentia nobis ac simplicissima obedientia exemplum luculentum statueret, quandiu ætatis decorum id tulit, non aliter se gessisse Christum quam infantes solent, nec plus sapientia aut prudentia prodidisse quam ferat usus infantium vulgarij. Attingat hoc ipsum verè prodigium Zeno Veron. serm. de Nativit. paucis illis verbis magnam poscentibus admirationem. [Verbum carni mixtum se fingit infantem.] Inde volebat Canisius, infanti ab ijs qui alieno ductui subsunt, præferim à religiosis, quantumvis privatum sapientia polleant, debere ipsos non secus ac infantes & perinde ac si destruerentur omni sapientia, alienis præscriptis se conformare, & ductum maiorum simplicissime sequi; ut à Christo factum nostri causa.

CAPVT II.

Specimina thesaurorum sapientia & scientia Dei in Christi intellectu, ad liquidiorum perfectionum Christi intellectualium hæcenus expressarum intraspectionem expensæ.

186. **I** Vuat ad pleniorum perfectionum intellectus Christi Domini intelligentiam, illustres quosdam actus sapientia & scientia Dei in Christo, & veluti specimina earum in quibusdam euenibus à Christo exhibitæ, paulò accuratius scrutari: idque ut contemplatio sit gratior, & amencior, plusque habeat auctoritatis, Patrum fere verbis præstabo. Recipio autem duntaxat sapientia & scientia Dei in Christo specimina persequi, hoc est scientia infusæ & beatæ: nam scientia acquisita & naturalis, est scientia hominis, non Dei, neque à Deo infunditur, sed labore hominis & experimento paratur. Et quod nullum eius in aliquo euenitu illustre exercitium prodant sacra literæ, Patresve expendant, visa est hoc loco præmittenda. Infusæ verò scientia, nec non beatæ usus insignes, celebrantur in Scripturis, & à Patribus excutuntur. Quare merito insistemus illis tantisper.

Argumentum sapientia, in Christo duodenni.

Varia in hanc rem à Ruperto annotata lib. 1. de operibus Spiritus S. c. 21. quod minoriora nec adeò illustrata videantur, placeat præterire. Illud verò in primis tamquam præcellentissimum scientia Christi infusæ argumentum consideratione dignissimum est, quod exhibuit duodennis, omnibus qui eum audiebant; ut Lucas ait cap. 2. in stuporem actis super prudentia & responsis eius: hoc est ob perspicacissimum & auctissimum captum omnium quæ à legis Doctoribus proferebantur, ob profunditatem sapientia quam in eo con-

cessu loquens tantula ætate puer prodebat, conditissimis & referentissimis scientia sermonibus. Vnde factum, ut homines arrogantissimi & inflata vesica tumentiores, puerum ex quo auditus est, admittere ad concessum, & cum eo disserere ac colloqui in Templo medio non sint dedignati, quamvis ante humi sederet. Qua ratione iniri fortassis conciliatio poterit, dissidentium hac in parte opinionum. Nam plerique cum antiqui tum recentiores, censuerunt Christum inter Doctores quidem sedisse, ut habet Lucas; non tamen confedisse Doctoribus, sed humi sedem habuisse. Quod adeò verum iudicavit Coluenerius l. 2. Cantipratani cap. 34. p. 4. ut scripserit, pictores qui hodie pingunt Christum in cathedra, ex æquo cum Doctoribus sedentem, contra Christi humilitatem facere, & aduersari decreto Concilij Tridentini sess. 25. vetantibus induci picturas insolitas, Verùm pro pictoribus factis, vsus non recens inductus, qui eos aduersus canonem in nouas picturas intentatum regit. Et quamuis Christum non se gessisse ut Doctorem, haud obscure tradat Lucas (id quod etiam perpendendum Orig. ad cap. 2. Lucæ & 5. Gregor. hom. 2. in Ezech. ac parte 3. pastor. admonit. 26. inde inferentes; sicut Christus quamdiu per ætatem non poterat Doctor videri, non se gessit ut Doctor: sic neque eos quibus per experientiam, aut ætatem, vel virtutem licet Doctores esse, debere ad docendum se ingerere:) quamuis inquam Christus non se gesserit ut Doctorem, tamen animaduersa prudentia & responsis eius, potuit à Doctoribus ad altus subfellium vna secum euocari, ut commodius ab omnibus audiretur, qui stupor in ea ætate erat.

187. In hoc primo gustu scientia infusæ quem Christus exhibuit, obseruat Petrus Symonis tract. de consensu pueri Iesu in templo, ad finem, non secus gessisse se Christum, quam qui captant admissionem in societatem artis vel officij alicuius, ad professionem publicam eiusdem artis. Edunt enim prius specimen aliquod artis suæ; & præclaro quopiam opere, peritiam suam probant. Non secus igitur Christus, ut in ijs quæ Patris erant, oportere se esse demonstraret, omnibusque, proderet mortalibus quas doctrina cælestis merces expositura venisset, insigni omnino sapientia clarus emicuit, in ea cum Doctoribus disputatione. Rem gestam admodum ac graphice expressit in disputatione de hoc argumento Præsul & Theologus proxime laudatus piè meditatus ingresso Christo templum, cum in disputationes ad populum Doctores, & varijs de Lege questionibus queis subsabantur enodandis intentos incidisset; proposuisse ipsum quoque ea modestia & gratia quæ hominem merum; ea verò perspicacia & solertia quæ longè superare ætatem minutam, & erememta nonnulla: & in ijs expediendis impeditos Doctores, proculque à veto pro Iudaica in rebus spiritualibus craftia aberrantes, iuuisset responsis sapientia diuina, plenissimis. Quæ situm ergo concijcit, & rediit de Messia persona: homine, an Deus, an vtrumque foret, libratis ad id varijs Scripturis, quibus Messiam nequaquam purum hominem, sed Deum simul atque hominem futurum, dedoceret Scribarum & Pharisæorum stupiditas, quæ carnis duntaxat oculis Messiam prospectans, nihil de eo supra carnalia & humana cogitabat. [Inuenitur in templo (ait A. Æredus tract. de puero Iesu duodenni) in medio Doctorum & seniorum, & patris pietatis de hominum reparatione consilium sicut Angelis, & sanctis carne exutis (quantum videbatur,) propalauerat in omnium locorum sacratissimo templo Hierosolymico, & his primò qui preciosissimum huius promissionis thesaurum in lacris literis versabant, paulatim inciperet referare, primum audiens & interrogans, deinde sacratissima mysteria prodens. Denique mirabantur omnes super prudentia & responsis eius.]

Quæ hæc reſponſa? Quod enim acutè obſeruaui Origenes hom. 18. in Lucam, non mirabantur qui ad- erant ſuper interrogationibus, (quamquam & ipſæ erant planè mirabiles,) ſed ſuper reſponſis. [Aliud eſt (inquit ſibi Origenes,) interrogare, aliud reſpondere. Interrogabat magiſtros: & quia reſpondere non poterant, ipſe hiſ de quibus interrogauerant, reſponde- bat. Quod autem reſponſio non viciffitudinem ſer- moucandi, ſed doctrinam in Scripturis ſanctis ſone- lex diuina te doceat. Moyſes loquebatur, Deus autem reſpondebat ei voce. Reſponſio illa eorum erat, ſuper quibus ignorauit Moyſem Dominus inſtrucebat. In- terrogauit interrogat Ieſus, quem mirandum Reſpondet, ſicut ſæpe diximus. Quamquam mirabilis eius interroga- tio ſit, tamen multo mirabilior eſt reſponſio.]

Id eſt doctrina quam Ieſus per eam occaſionem profundebat, euitans abſcondit à conſtitutione mun- di. Planè tunc Chriſtus ſuper omnes docentes ſe intel- lexit, prout ea uerba ad Chriſtum aptauit Proſper in Pſal. 118. *Suauis Men. v. 3.* hiſ uerbis, [Super omnes Do- ctiores intellexit, quem Pater docuit: quod ex perſo- na uerbi difficile intelligitur, niſi quod utcumque ca- pere ualeat, id eſſe, filium à Patre doctum eſſe, quod genitum. A quo enim ei eſt eſſe, ab ipſo eſt ſimul, do- ctum eſſe. Ex perſona uerò hominis, ubi formam ſer- uat accipit, faciliùs intelligitur à Patre didiciſſe, quæ dixit. In qua forma, puerum putauerunt homines maioris ætatis docendum. Sed ille quem Pater docuit, ſubtilioris erat intelligentiæ quam docentes.] Puerum quædam nomine *Achab* nomine, in quo Chriſtus expreſ- ſum à ſe in humili ætate ſapientiam repræſentatam uoluit, reſert Thomas Cantuari. lib. 2. Apum, cap. 28. à nota. Et prodita quidem eſt in illo pueo, admirabi- liſ ſupra ætatem ſapientia. Sed nihil illa ad Chriſti patris ſapientiæ ſpecimina. Meritò ut S. Auguſtinus ad titulum Pſalmi 101. animaduertit, [horrent mirantur- que ſapientiam Dei, pueri duodennis, imperiti ſenes. Aut etiam ſi periti ſenes, quid illorum peritia ad Ver- bum Dei? quid illorum peritia ad ſapientiam Dei? Non- ne & periti, niſi illo ſubueniente utrique perituri?]

*Laucientiora ſapientiæ ſpecimina, in Chriſto
proiectiore inter hoſtes.*

188. Proficiens ætate Chriſtus, profecit & ſapientia, id eſt iuxta Theologi & aliorum interpretationem non incommodam ſuperius prolatam, argumenta da- bat cumulatoſis & auctioſis ſapientiæ. Ex deluſis du- plicis generis hoſtibus, eam ſapientiæ cumuloſum in Chriſto proiectiore, perit Aelredus tract. de Chriſto duodenni, *ſub ſinem*, uerbis illis. [At ſi iucundum du- cis, inſidias Scribarum & Phariſæorum rotas depre- hendit, callidas eorum obiectiones, reſponſionum il- lius prudentia conſutatas, ocellata mente perſpicere, ſapientiæ eius lucem, clariùs emicare perſenties.] Et mox. [Non minoris ſapientiæ fuit, quod ut principes hoſis mundi fallerentur, inter diuina miracu à Dia- bolo ſe tentari permiſit, quod uelut agens eſurierit, quod in nauis dormierit, quod crucem moriturus af- cenderit.]

Sapientiam Chriſtus aduerſus hoſtes viſibiles & in- uiſibiles iudice Aelredo prodidit. Malicia ſanè & vi- uolentia Iudeorum hoſtium viſibilium Chriſti Domini, ac ſpiritualium & inuiſibilium nequitia in cœleſti- bus, ſimul in Chriſto impetendo iungebatur: ut pro- pterea S. Gregor. 7. Moral. cap. 15. in eam ſententiam explicet illud Iſaie 54. *Erit enſibile draconum, & palca ſerpentium & occurret dæmonia noncentauris, & piloſus clamabit alter ad alterum.* Tam terri tamque maligni hoſtes, quàm hiſ beſtiarum appellacionibus myſticè ad eos apertis inuocit, erant ad eum conſerti, ut Chriſtus ipſe profecit ſi apud Pſalterem, multiplicatas eſſe ſu-

per capillos capitis; id eſt fuiſſe propè innumeros. Non eos malignitas, non vaſtities & calliditas, non poten- tia & vires, non fauor hominum ſibi in ſua prauitate ablandientium, deficiebat: foderunt illi animæ Chri- ſti multiplices foueas, ut autor tract. de paſſ. Dom. apud S. Bernardum cap. 3. conſiderat, libratis nomina- tim exemplis machinationum, quoad mulierem in ad- ulterio deprehendam, & quoad negationem cenſus pendendi Cæſari. Diſpuliſ tamen ac diſcuſſit Chriſti prudentia & ſapientia, artes omnes & conſilia eorum; quod idem S. Gregorius hom. 2. in Ezech. expreſſum cenſet ea ſpecie quæ Ezechieli obuerſata reſertur c. 1. cum ait. *Ei uidi & ecce uenit turbinis uenebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens, ſplendor in circuitu eius, & de medio eius quaſi ſpecies electri id eſt de medio ignis.* Ventum turbinis ab Aquilone reſlantè, interpre- tatur S. Gregorius, Iudaicum furorem à Satana concita- tum, uade nubem magnam id eſt totius gentis caliginem & obſcurationem ſecutam docet; ignemque ma- litia inuoluentem; cuiusmodi iſeſt quem Apoſtolus Hebr. 10. conſumere aduerſarios proficitur. Inde eru- piſſe quidem poſt Chriſtum perfectionem in Apo- ſtoloſ, ſed ut addit; [Iſte ignis malitiæ qui à Iuda- eorum cordibus arſit in perfectione, priuſquam ſanctos Apoſtoloſ ſæuendo aſſigeret, in ipſo ſe exercuit au- ctore ac redemptore generis humani. Unde & ſubdi- tur: *Et de medio eius, quaſi ſpecies electri, id eſt, de medio ignis.* Quid electri ſpecie, niſi Chriſtus Ieſus, media- tor Dei & hominum designatur: Electrum quippe ex auro & argento eſt. Quaſi electrum ergo in igne eſt, Deus factus homo in perfectione.] Vtique tam Iudeorum, quam intendentium Iudeos Satana copiarum. In hoc igitur ſummam Chriſti ſapientiam pate- factam cenſet Aelredus loco notato, quod tantam malignitatem & hominum Satana mancipiorum, & ipſius Satana, declinare quantum libuit, & neceſſita- tis noſtræ ratio, Deique hominis dignitas tulit, nullo negotio potuit, & artem ſapientiore arte deludendi modum calluit: ut palpatum experimento eſt, cum la- quum bicipitem poſuerunt, quaſi capiendo Domino. Verba ſunt S. Auguſtini in Pſalm. 7. coactis Phariſæis ſimul ac Herodianis, & alias cum varijs nequitia Iudaicæ cohortibus, Phariſæis inquam & Sadducæis, nunc ſeotim, nunc conuinctum, ut cum caperent ſal- tem in ſermone, ubi facilis eſt prolaphio: (nam neque abs te lingua in udo eſt, quia facile labitur, ut S. Augu- ſtinus obſeruaui;) abijt tamen ſemper immunis ab eorum pedicis, in dentes eorum contriuit in ore ipſorum. In quam rem idem D. Auguſtinus ad Pſalm. illum 57. alia ſimilia exempla conglobat.

189. Nemo non uidet quantum in hiſ prodatur intellectuale Chriſti iumen. Verùm ſi rem accuratè expendimus, à ſapientia ſiue perfecta ſcientia ſpecula- tiva in qua uerſabamur, quamque Chriſtus expreſſit in primo ſtatu ſcientiæ quem duodennis exhibuit, uix aduertentes tranſitum fecimus ad ſcientiam practi- cam, ſiue prudentiam, cuius proprie eſt proſpicere ne quis aduerſarij doliſ pateat, eaſque declinare aut auer- tere. Quare reueniendum eſt ad ſapientiam. Et quam- quam prudentia in Chriſto, eſt portio ſcientiæ infulæ; tamen alia ſine dubio ratio eſt notia quæ mera noti- tia eſt, nec operationem ſpectat; alia notia quæ ad operationem collimat, & ideoſo practica dicitur nec ſolet ſapientia nomine denotari, niſi late ſumpto nomi- ne, ut cum Beſeleel dicitur impletus à Deo ſapientia, ad externa quædam artificia ritè perficienda. Negari non poteſt, quin Chriſtus plerumque inter conſutandum hoſtes, radios aliquos eius ſapientiæ quæ preſe & prop- riè ſapientia dicitur, foras emiſerit. Nam reſponſum à Chriſto datum Phariſæis, capioſe & ſubdole quæ- rentibus quod eſſet mandatum magnum in lege, S. Hilar. Cano. 23. in Match. ita eſſert, ut dicat, [Ea reſ-
ponſio,

ponso, omnem in se veritatis est complexa doctrinam.] Et ita in similibus circumstantiis à Christo factum notare facile licet. Sed aliud tamen est, per occasionem strictam & obiter intermicare doctrinæ radium, aliud per otium ac ex instituto. Solem veritatis; doctrinæ inquam cælestis plenitudinem exhibere, quod factum frequèssimè à Christo est, post primam illam quam initio expendimus sapientiæ suæ publicationem & expositionem, in Synagoga, in Templo, in varijs Iudææ oppidis ac urbibus quas Evangelizando pertransibat, stupore delixis in tanta eius sapientia, non plebijs tantum, sed & iis qui sapientiam profitebantur, & pro ea supra vulgus esse rebantur.

190. Hanc ob causam Origenes tomo 19. in Ioan. tractans verba à Christo dicta in gazophylacio, pulcherrimè tradit verba vitæ æternæ ibi: à Christo prolata, & sapientiæ eius plenitudinem ibi positam, omnia aliorum munera longissimè superasse. Subditque, [Atque aurum sanè omne, cæterorum qui in Gazophylacio ferebant quæ habebant, arena erat pauca, comparatione verborum Iesu. Sapientia siquidem erat quivis eius sermo, de qua dicitur; omne aurum coram sapientia, est pauca arena, & ceu cænum reputabitur argentum coram ea: Et hæc certè considerabunt, quotquot edocti sunt audire sapientiam illam, quæ annunciat inter perfectos in mysterio abscondita, quam prædestinat Deus ante sæcula ad Iustorum suorum gloriam. Considerabunt hoc etiam qui despiciere valent sapientiam Dei longe excellentiorem sapientiâ huius sæculi, vel principium sæculi huius, qui destruuntur, seu qui veniunt proprijs Prophæcis, & tuncur qualescumque sermones alios, præter veritatem: nam ceteræ sapientiæ, quæ veluti aurum reputantur, arena sunt parva coram sapientia quam creavit Deus principium viarum suarum ad opera sua: argentumque, splendida, & eloquens multorum oratio, ceu cænum reputabitur coram cæstis sermonibus Domini, qui igniti sunt, & purgati, & probati septuplum, quia processerunt ab illo sermone, qui erat in principio apud Deum.]

Sed insignis est in hanc rem locus Marci. 1. Sabbatus (inquit,) ingressus Synagogam docebat eos. Et stupebant super doctrinam eius. Erat enim docens eos, quasi potestatem habens, & non sicut Scriba. Rursus c. 6. factus sabbato cepit in Synagoga docere, & multi audientes admirabantur in doctrina eius, dicentes. Unde huic hæc omnia? & quæ est sapientia qua data est illi? Eadem habet Matheus cap. 13. Et uterque addit, scandalizatos in eo fuisse Iudæos. Conspicabant enim in externa specie adeò vili, & sub tam sordido carnis pallio, tantam sapientiam, ut stupore defigerent: neque tamen vnde tanta sapientia esset, agnoscere sustinebant, & filium se Dei, ac Deum verum simul ac hominem profertenti Christo, auscultare renuebant. Itaque scandalum patiebantur eius occasione, mentientes Christo tanquam filii alieni, & claudicantes in semitis suis; hinc divina in eo dona cum stupore & extasi collaudantes; hinc averti à persona, ut impletur in eis iuxta præclaram D. Cyrilli observationem in expositione symboli Nicæni, quod Genesis 32. Iacobo accidisse in figura legimus. Per noctem quippe, vidit Deum facie ad faciem, atque adeò corporali specie vnde salvam factam esse animam suam, contestatur: orto autem Sole, quando transijt species Dei, claudicavit Iacob coxa altera. Visus ergo in teris est Deus, carne amictus, & luctatus per vitæ huius ac vitæ noctem cum Iacobi genere, docens ac tenicens eos obliuantes: sed non rectè incesserunt coram eo, nec doctrinam & sapientiam Christi quam suspexerunt, ratam habere, & firmare assensu suo voluerunt.

Paria in Christo cum suis agente, notata.

191. Clarius & expressius occulta & incerta sa-

pienciæ suæ Christus Dominus, coram lecto magnifico Domestico, (Apostolos dico, sanctosque discipulos,) manifestavit atque tetexit. His enim datum est nosse mysteria regni Dei. Apud hos eructant abscondita à constitutione mundi; quod mundana sapientia vniuersa, ne suspicione quidem attingit, us plenissimè & explicatissimè expoluit. Quod S. Cyrillus eodem opere expositionis symboli Nicæni, egregie notat exptellu fuisse in benedictione Leui, Deuter. 33. verbis illis. *Data Leui manifestationem eius, & veritatem eius, viro sancto quem tentauerunt & tentatione: & obuius sunt apud aqua contradictionis. Qui dixit patri & matri, non vidi te, & fratres suos non agnouit.* Ordinauerat quidem vniuersorum Deus, poterem vellem fieri Aaron varijs modis contextam, quam Soli famulo Sacerdoti si gestare licebat, & concedebatur. In pectore autem summi Sacerdotis, fuere lapides quidem elaborati numero duodecim, in quorum medio figuratum erat, *manifestatio, & veritas*, duo iterum alij lapides. Cæterum per hos duodecim, A postolorum chorus anigmaticè demonstrabatur, quasi in circulo Emmanuel emingens, qui est manifestatio & veritas. Manifestatio enim nobis veritatem cultus qui in vmbis & figuris erat, finem ei imponens.] Expendit figuratim, & Christo aptat singulas testimonij propositi voces. Ostendit enim Christum fuisse Leui, id est Sacerdotem ac Pificem nostrum, prout ab Apostolo discretè nominatus est Hebr. 3. Et hunc Leui, ait verè fuisse virum sanctum, quia peccatum non fecit. Contra quem tamen iurgati sunt filii Belial. Qui dixit cognationi suæ, vt Marcus c. 3. testatur, non noui vos. Huic igitur Sacerdoti Sancto, Moses prænunciabat interprete S. Cyrillo, dandam esse manifestationem & veritatem in medio duodecim discipulorum, quos sapientiæ luce plenissima collustraturum, & sapientiæ thesauris quos à Patre accepterit ditaturum, præcognoscebat Moses.

Exclamabo hic cum Bernardo serm. 6. de Ascens. [Beati oculi qui videbant Dominum Manifestatis in carne presentem, auctorem vniuersitatis inter homines conuersantem, virtutibus coruscantem, infirmos curantem, mate calcantem, mortuos suscitantem, demonis imperantem, & potestatem similem hominibus conferentem; mitem & humilem corde, benignum, affabilem, misericordix visceribus affluentem, agnum Dei peccatum non habentem, & omnium peccata portantem. Beatæ aures quæ verba vitæ ab ipsius incarnati verbi ore, percipere merebantur; quibus enarrabat vniuersis qui est in sinu patris & nota faciebat quæcumque audisset à Patre, vt fluens doctrinæ cælestis ab ipsius veritatis purissimo fonte haurirent, vniuersis postmodum gentibus propinandas, imò eructanda potarent.] Reuocant mihi ista in memoriam, votum ex Augustino iactatum, Christi conuersationem in carne, Romæ triumphantis gloriæ, & Pauli prædicantis habitum coram perspicendi. Verùm quid Pauli prædicantis sapientiæ & facundia, ad sapientiæ & facundiam Christi verba gratiæ ex ore suo emittentis? Itaque merito S. Bernardus, beatos pronunciat qui Christi prædicantis sapientiam, ipsimet hausere.

Locuples verò sapientiæ & scientiæ Dei in Christo testimonium, dabat futurorum prænunciatio tanto ante facta. Certissimè quippe, & distinctissimè Ierosolymorum destructionem post suum obitum enuntiat prædixit; & vt constaret quam longius mentis suæ obtutum dirigeret, quæ extremo mundi tempore ventura sunt, clades interuentis orbis & vergentis in ruinam, Antichristi Aduentum, & Iudæorum pro custodia, aperè enunciant: verique se Prophetam megnum, & arcanorum Dei probè conscium iis ab hominum sensu tam remotis, tanto ante euulgandis, probavit. Quid latebrarum humani pectoris peruisio, & eorum

concludens, sanctos quidem variis illis spiritibus donatos, esse thesauros. [Isti autem omnes thesauri, vni habent thesaurum in quo sunt thesauri sapientiae & scientiae absconditi. Et quomodo possideo vnam preciosissimam Margaritam per plures alias Margaritas, sic venio ad thesaurum thesaurorum, & dominum dominorum, & regem regum, cum dignus fuero spiritibus in Dei thesauris commotantibus.]

CAPVT III.

Depulso defectuum & imperfectionum nostrarum, ab intellectu creato Christi Domini.

194. **V**T perfectiones positivae intellectus humani Christi Domini, de quibus haecenus actum est, plenè innotescant; subiicienda est quaedam (vt sic dicam), negatiua eiusdem intellectus perfectio, sita in carentia defectuum nostrarum, tum quoad cognitionem, tum quoad cognitionis modum. Quidam enim ex his defectibus quibus intellectum nostrum hinc in via laborare dico, excludunt cognitionem veram; sine priuatiuè, vt ignorantia; sine contrariè, vt error & falsitas. Alii conserantur cognitioni interdum veræ, sed errori & falsitati ob motui sui debilitatem obnoxia, vt opinio & fides humana, quibus est non modica cum errore & falsitate vicinia. Sunt alia notitia nostrates, quæ tametsi semper veræ & certæ, imperfectæ tamen sunt ob inequentiam, vt fides diuina, cuius quæ appendix Theologia. Postremus defectus notitiam nostrarum, spectat modum quo scientia exercetur: vt compositio, præsertim tertiæ operationis, & conuersio ad phantasmata. Quomodo omnes hi defectus ad intellectum Christi se habuerint, & an plenè ab eo exalauerint, videndum est. Neque enim modica videtur perfectio intellectus, nitor à cæcitate nostra atque defectibus.

Christus homo, expers ignorantia.

195. Ignorantiam aliquam Christo tribuisse videri possumus, cum falsi sumus, Christum ne per beatam quidem notitiam, scire possibilia omnia, & futura quæcumque conditionata. Quid enim aliud est ignorare; quam nescire: Certissimum nihilominus est, & Catholicis omnibus indubitatum, numquam intellectum Christi humanum, aliqua ignorantia laborasse: quia Christus, iam ab initio productionis suæ, plenus fuit sapientia, habuitque in se absconditos omnes thesaurus sapientiae & scientiae Dei, iuxta Apostolum: nempe ratione scientiae infusæ & beatæ, quas vidimus Christo inexistisse ab initio, & portectas fuisse ad omnia quæ par erat Christum scire, & quæ si ignorasset, potuisset ignorans denominari. Neque enim ignorans dicitur, quisquis non habet alicuius rei scientiam: sed quisquis non cognoscit, saltem habitualiter, quod oportet aut conuenit eum scire. Si verò quid aliud sit, cuiusne primum quidem actum, siue species, & principia actu cognoscendi possideat, non dicitur propterea ignorans V.G. Aristoteli nemo probrum ignorantiae impingat quod tametsi omnia quæ hominem decet, & quorum scientia statui humano consentanea est; calluisse supponatur; ea tamen nescierit quæ nosse decet Angelos. Quia ergo ea obiecta quæ falsi sumus à Christo non percipi etiam habitualiter, non pertinent vilo modo ad Christi statum; nec aliquid profertur vnde liqueat decere Christum talia scire; non potest Christus eam ob causam ignorantiae infimulari. Ac proinde rectè & Catholicè dicitur, Christi intellectum nulla ignorantia laborasse: idque vniuersi consensu tradunt Patres, vt manifestum planè sit, hæc ferre verbum traditum. Appendo nonnullorum

verba, præter alia aliorum loca, quæ proferunt Bellar. lib. 4. de Christo cap. 3. & Coccius tom. 1. lib. 2. art. 3.

Consensus SS. Patrum.

196. Clemens Alexand. 1. pædag. c. 6. de Christo Deo & homine, ex economica (vt ait,) præordinatione agens, probat Christum fuisse perfectum: alioqui, [quod est (inquit,) absurdissimum, ei aliquid deesse. Sed si ita est, vt aliquid disceret opus fuit. Sed cum cum Deus esset, nihil didicisse, fuit consentaneum. Neque enim quis verbo maior fuerit; sed neque magister ac Doctor est, eius qui solus est magister.] Nihil igitur ignorauit Christum prout homo, si nihil discere potuit. Eodem sensu, pædagogum nostrum Christum mellissimè describens ibidem c. 1. ait [cum ornatum fuisse scientia, quoniam est paterna sapientia. Omnis enim sapientia, est à Domino, & cum eo est in æuum.] Non agit de sapientia Christi secundum naturam diuinam, quia per eam non fuit pædagogus noster; sed per humanam dumtaxat sapientiam. Aperit ergo originem summæ huius sapientiae Christi, ignorantiam omnem excludentis, eamque summam sapientiam inde vult Christo aduenisse, quod esset Dei sapientia ob vnionem,

Origenes tom. 1. in Ioan. ad illud. *In principio erat Verbum*, tractans titulum quo Christus *veritas* dictus est, sic habet. [Porro Vnigenitus veritas est omnem omnium rerum iuxta Patris voluntatem, cum omni claritate rationem in se complectens, atque vnicuique in quantum est veritas pro illius dignitate, & merito distribuens. Quod si quis inquirat, num omne quod tandem cognitum est Patri, iuxta profunditatem & diuinitatem, & sapientiam, & cognitionis eius, seruator nollet sciat, & causa glorificandi Patrem, quædam à Patre cognita esse dicat, quæ filius ignoret, cum aliqui possit ex æquo perinde atque ingenitus Deus apprehensiones prehendere: sciendum est, Seruatorem ipsam, quia sit veritas, nihil veri ignorare: Idque tom maxime adinueniendum est, solida sit veritas, ne clauderet veritas diminuta cognitione eorum quæ sunt in solo Patre, vt isti tradunt. Vel ostendat aliquis, quædam esse, quæ cognoscuntur, quæ veritatis appellatione nuncupari non possunt, sed supra ipsam veritatem sita sunt.]

197. Autor quæst. 8. ad Orthod. apud Iustinum, cum hæc præcessisset interrogatio, [si tribuere Christo ignorantiam impium est, non dubium est quin habeat omnium perfectam cognitionem. An non igitur ipse est causa proditionis Iudæ, qui eam præciperit nec tamen impediuerit?] Cum inquam hæc interrogatio præcessisset, supponit Autor ille, totum antecedens: nempe Christum sciuisse omnia perfectè, nihilque ignorasse. Respondet autem ad propositam difficultatem; Christi prænotionem non fuisse causam proditionis, sed potius è contrario, prænotionem ex futuratione rei causatam esse.

S. Eulogius orat. contra Agnoitas eos egregiè reperit. Adducam partem compendii quod ex ea oratione exhibuit Photius Cod. 230. [Eulogius iste (inquit Photius) Christum Iesum Dominum nostrum, neque secundum humanitatem quidem; multo minus verò secundum diuinitatem ignorasse sepulchrum Lazari, neque etiam illum vltimum diem contendit. Neque enim humanitas Christi in vnam inaccessibleis & substantialis sapientiae hypostasim admittit, quicquam velut rerum præsentium, ita futurarum poterit ignorare. Neque falsum esse potest quod dixit, omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. An ergo & patri, nihil non audentes, ignorantiam ascribent? Prosequitur mox late eodem planè modo probari posse, Deum esse ignorantem, ac Christum quatenus hominem: quod non dissimilia iis ex quibus Christi ignorantia ab Agnoitis colligebatur